

SYLLABUS INDICIORUM QUIBUS PSEUDOVERGILIANA ET PSEUDO- OVIDIANA CARMINA DEFINIANTUR

Symbolae ad Cirin, Culicem, Aetnam

Se Drusi funeri interfuisse, Consolationis ad Liviam scriptor v. 202 autumat, se statim post excessum Maecenatis comonente Lollio mortuum deflevisse, Elegiarum in Maecenatem scriptor v. 2 et 10 ait. quorum testimoniorum utrumque per se stat pari pondere et auctoritate. attamen verum esse Elegiarum scriptorem Mus. Rhen. hoc vol. p. 97 ss. ratus sum, falsum esse Consolationis scriptorem ibid. p. 193 ss. dixi. itaque bipartita evadit quaestio de aetate et indole carminum incertorum. alterum est, ut tradito textu sedulo perpenso loci omnes exhibeantur, quibus scriptor sciens invituse aliquid effundat, quod ad aetatem et indolem carminis aestimandas valeat. verum ut iusta diligentia carmina incerta definiantur, etiam indagazione altera opus est eaque multo difficiliore et implicatiore, quam illa est, qua testimonia aetatis carmini insita observationibus comparantur. nimirum examinandum est, utrum testimonia aetatis a doctis detecta fide digna an indigna sint. cuius generis in quaestionibus argumenta varia sive sermonis et artis metricae, sive imitationis, sive eruditionis in censum veniunt. quae argumenta quam vim singula habeant ad carmina suae quodque aetati reddenda, et qua via et ratione in his quaestionibus progrediendum sit, explicare in animo est.

I

De eruditione

Etiamsi eos, qui carmen incertum in examen vocant, maxime deceat, inde ab initio usque ad finem curarum a textu recte constituendo et ab observatione latinitatis et consuetudinis metricae oculos nusquam avertere, tamen suadeo, ut ea quaestio in primo ad exitum ducatur, quarum rerum quantam cognitionem scriptor habeat.

Eruditio contemporanea eruditioni ex fontibus haustae opponitur

Si eruditio poetae incerti summatim non excedit supra res omnibus notas hominibus litteratis aevi Augustei et decenniorum sequentium, ne selectior quidem una aut altera res Augustea scriptori nota sufficit, ut sub Augusto eum scripsisse statuamus. nam lucrum potest serior poeta tulisse ex antiquiore poeta imitationis gratia adhibito. sic in Consolatione ad Liviam v. 387 ss. singularis sane memoria Isarci fluvii Apulique Dacii nos delectat. at quae universa eruditio huius poetae est de Claudiana aetate melius edocti quam de Augustea, *Isarcum* et *Apulum* ex Ovidii carmine in triumphum Tiberii accepit; cf. l. l. p. 215 ss. e contrario in Elegiis in Maecenatem semel atque iterum fit, ut eruditio remotior in carmine conspicua confirmetur testimonio alio, ipso quoque a vulgari eruditione vitae Maecenatianae, quatenus in scholam abiit, alieno. velut pugnae Actiacae interfuisse Maecenatem historici veteres non tradunt, quin tacendo oblocuntur. at Horatius, iambis 1 et 9 probe intellectis, anonymo Elegiarum auctori succurrit. verum vero ne ex Horatio quidem, sed uno ex Elegiarum scriptore discitur, quae partes graves Maecenatis in hoc proelio navali fuerint. nam ex versu 46 *fortis erat circa, fortis et ante ducem* efficitur, et scaphis actuariis amicum Augusti praefuisse circumnavigantibus, et fugientem Antonium persecutum esse; cf. l. 1. p. 113 s. tamen nulli lectores nisi contemporanei facile sensum versiculi illius intellegere poterunt. unde qui ex eruditione poetarum anonymorum aetatem et indolem eorum definituri sunt, ad eos praesertim locos investigandos animum intendant, qui non nisi aequalibus comprehensibiles fuerint. nam ad verum inveniendum nulla eruditio, ne selectissima quidem, plus valet quam illud eruditionis genus. genuina indoles Elegiarum, sub exsequiis Maecenatis scriptarum ea re maxime asseveratur. atque etiam praeter facta bellica Maecenatis Elegiarum auctor de aliis rebus arcanis vitae Maecenatianae, quas in enarrandis Elegiis l. 1. passim adnotavi, adeo eruditus est, ut nemini nisi homini aequali peritiam eius generis adscribere liceat.

De Messala Messalino in Ciri propter philosophiam laudato

Selectam autem eruditionem similem ei, quam Elegiae de Maecenate praebent, *Ciris* carminis auctor de M. Valerio Messala Messalino exhibet, filio Messalae Corvini

oratoris clari. quamquam in Ciri patronus, quem poeta alloquitur, tantum simpliciter *Messala* v. 12 et 54 vocatur, tamen oratoris filium dici certum fit, si modo apud H. Dessau, Prosopograph. imperii Romani saec. I. II. III., Pars III (1898) p. 363 ss. gentiles omnes gentis Valeriae Messallarum perlustraveris, quatenus pro tempore et pro re in censum veniunt. nam terminus, post quem Ciri carmen scriptum est, annus 19 a. Chr. agnoscitur. nimirum in Ciri praeter Bucolica non modo Georgica a. 29 a. Vergilio perfecta adhibentur, sed etiam Aeneis post mortem eius a. 19 edita; cf. infra sub II De imitatione p. 309. deinde sub IV p. 321 s. Ciri brevi post annum 19 factam esse probavero. iam vero quandoquidem Ciri poeta patronum Messalam v. 36 *iuvenum doctissime* alloquitur, filius oratoris adulescens potius quam Messala pater, cos. a. 31 in carmine invocatur. atque adeo in iuventa erat circa a. 19 Messalla Messalinus, quem inter quindecimviros sacris faciendis cooptatum Tibullus II 5 fere a. 20 celebrat, consulatumque a. 3 a. Chr. Messalinus gessit. deinde item atque pater Messala, Tibulli familiaris et fautor Ovidii, qui fautoris mortem Ex Ponto I 7,29 s. planxit, etiam filius Messala poetas fovit. ad quem Ovidius epistulas Trist. IV 4, Ex Ponto I 7 et II 2 misit; unde magna cum probabilitate Dessau 1. 1. p. 370 ad eundem Messalinum etiam tunc adulescentem, Ciri carmen datum esse statuit. quam in sententiam iit etiam F. Leo, Hermes 37 (1902) p. 47, 1.

Testimonia antiqua de Messala Messalino omnia, sive historicorum, Vellei, Taciti, Cassii Dionis, sive poetarum, Tibulli, Ovidii collecta prostant una cum titulis cursum honorum eius testantibus apud Dessau 1. 1. p. 369 s. Nr. 93. quae testimonia perscrutatus si interrogas, quid de indole hominis doceant, Velleius II 11,2 „animo etiam quam gente nobiliorum“ eum vocat, Tacitus, Ann. III 34 „paternam facundiam“ memorat, Ovidius, Ex Pont. II. 2,51 „eloquii nitorem“, ibid. v. 53 „viventem in eo facundi linguam parentis“; praeterea idem Ovidius, Trist. IV 4,2 aequae atque Velleius „morum nobilitatem“ et Ex Pont. II 2,113 „tendentem in ardua virtutem“ exhibet. nullus tamen ex his testibus illud memoriae prodit, quod ex Ciri prooemio discitur: studia philosophica Messalinus in adolescentia admodum grata habuit. quae res eo efficitur, quod Ciri poeta in prooemio Messallae promittit, se post epyllion mythologicum ei datum, etiam illustrius et grandius genus poeseos, philosophicum carmen de rerum

natura ei dedicaturum esse. hoc autem opus didascalicum, quod in votis habeat, candidis coloribus et imaginibus exornat v. 21—41, idque unicum dignum esse auguratur, cui intextum nomen Messalae ad posteros veniat: „tali te vellem, iuvenum doctissime, ritu... naturae rerum magnis intexere chartis, aeterno ut sophiae coniunctum carmine nomen nostra tuom senibus loqueretur pagina saeculis“. atque ut amor philosophiae innatus Messalino ab omni parte intellegatur, faciunt etiam prooemii versus 12 s., quos ex corrupta codicum traditione restitui: „quodsi mirificum genus, o Messala, valerem, mirificum dederim, modo sit tibi ferre libido.“ quo loco dictionem *mirificum genus* a criticis prioribus ad Messalam tractam, ad genus litterarum carminis didactici traxi Glotta 29 (1941) p. 29 ss. „Genus, eidos und eidyllion in der Bedeutung Einzellied und Gedicht. Zum Proömium der Ciris“.

De Aetnae scriptore ignaro Campaniae Volcano quassatae

Eruditionis autem criterion in carminibus incertis definiendis non solum sic exercendum est, ut eruatur, quid scriptor sciat, sed etiam sic, ut dispiciatur, quid nesciat. velut Aetnae carmen didascalicum de rebus volcanicis ante quem terminum scriptum sit, ea re definitur, quod ignarus scriptor est Vesuvii anno 79 in cladem Herculanei et Pompeiorum erumpentis. nec solum huius eruptionis notitia poeta caret, sed etiam regionem Campanam inter Neapolim et Cumas sitam v. 431 s. „multis iam annis frigidam“ esse ait. meridiana autem a Neapoli plaga Campaniae terrae motu iam anno 63 sub Nerone devastata est. quam rem, mirum sane futurum fuisse apparet, si scriptor doctrina plenus v. 431 s. praeteriisset. nempe veteres inter causas flammaram e montibus evomitarum etiam terrae motus locum sibi vindicare compertum habebant; cf. S. Sudhaus, Aetnae ed. (1898) p. 51 ss. unde equidem Mus. Rhen. 79 (1930) p. 228 ss. terminum, ante quem Aetnae carmen panctum sit, annum 63 esse statui, quo anno Pompei et Herculaneum terrae motu primum conserderunt multo ante ruinam fatalissimam sub Tito factam.

Culicis scriptor fabula de condiscipulatu Augusti et Vergilii obstringitur

Denique et id fit, ut eruditio poetae incerti collata cum grammaticorum eruditione exacta manca sit; unde scriptor pseudepigraphus falsi convincitur. Servius, Verg. Buc. 9,18

p. 112 Thilo testis disertus est, Vergilium ante Bucolica, quae annis 42—39 evigilavit, „nondum aliquid scripsisse“. quamquam autem ex hoc testimonio interpres sobrius id tantum efficiet, in publicum dedisse Vergilium ante Bucolica opus nullum, tamen vel hoc sufficit, ut Culex personato Vergilio, non vero tribuatur. nimirum hoc epyllio Caesar Octavianus Octavii nomine v. 1 *Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia* appellatur, quod nomen deposuit ille a. 44 a Divo Iulio testamento adoptatus. pugnat igitur carmen, quod Vergilianam originem praetendit atque ante a. 44 in publicum missum esse vult, cum vita Vergiliana grammaticorum.

Carmina Vergilium iam ante Bucolica fecisse amicis coram data, et consentaneum per se est et probatur Catalepto, cui quaedam epigrammata iuvenilia Vergilii insunt, quae demum post mortem eius ex scriniis intimorum, sive Tuccae sive Varii in publicum prodierunt. qua de re egi Gymnasium 50 (1939) p. 43 ss. „Erklärung von Vergils Jugendgedicht Catalepton 1“. praeter dubia et spuria genuina quoque carmina I, V, VII, VIII Catalepto offeruntur. evidentissimum autem rationis exemplum, qua Vergilius iam ante Bucolica nugis ad amicos missis luserit, Catal. I est, cuius interpretationem, a Theodoro Birt feliciter coeptam 1. 1. absolvi. flosculus v. 4 *longe est, tangere quod nequeas* proverbialis est, deinde ante haec verba per aposiopesin *scitote* sive simile quid ex consuetudine sermonis latini subaudiendum est; cf. etiam H. Westendorp-Boerma, Verg. Catal. (Diss. Groningae 1949) p. 12 et 16 s.

Designata ea sunt, quae certa auctoritate utuntur de poetante Vergilio in adolescentia. quaecumque in hac re ad lucem ferre licet, ea nequaquam adversantur Servio ante Bucolica nihil edidisse Vergilium affirmanti. immo numeris probabilitatis omnibus testimonium Servii splendet. an vero putabimus, Vergilium tempus in epylliis mythologicis condendis iis ipsis annis trivisse, quibus *docta dicta Sironis* petens Camenis valedixerat Catal. V 11 ss. *ite hinc Camenae; vos quoque ite iam sane, dulces Camenae — nam fatebimur verum, dulces fuistis — et tamen meas chartas revisitote, sed pudenter et raro*. hoc propositum persequens eclogas Bucolicorum Vergilius lentius quam citius in corpusculum congregavit. ceterum nova ars Augustea apud eum in taciturnitate maturecebat. per totam vitam Vergilius verecundissimus fuit in

libris foras mittendis, qui ne moribundus quidem Aeneida in publicum dare paratus fuit.

Confabulatione vulgi statim post mortem Vergilii familiaritas, quae inter vatem gentis Iuliae et Iuliorum Augustum intercesserat, supra verum extollebatur statusque posterior ex pueritia regis et vatis repetebatur, etsi septem annis minor Augustus Vergilio fuit. fabula de condiscipulatu Augusti et Vergilii quamquam iusta auctoritate caret, nihilominus anti-quissima videtur esse. tam hoc quam illud vide ne evincere sit, cum reilegem insuper ad ea, quae exposui Goett. Anz. 203 (1941) p. 76 s.¹⁾ nulla vita Vergilii nisi Bernensis p. 66 Brummer, quae longissime a diligentia grammatica abest, refert, Octavium condiscipulum Vergilii fuisse. cui memoriae refragantur auctoritate maiore usae reliquae Vitae Vergilianae, praecipue Donati et Probi, qui demum per Pollionem, Cornelium Gallum, Maecenatem Augusto insinuatam esse Vergilium tradunt poetam iam fama Bucolicorum nobilem. at orta fabula de condiscipulatu Augusti et Vergilii iam sub Augusto senescente est, quippe quae Culici subsit carmini post Ovidii Metamorphoses scripto (cf. sub II p. 302) et ante initia aevi argentei (cf. sub IV p. 322). nempe iam Lucanus verbis *et quantum mihi restat ad Culicem* et genuinum opusculum et ex inveterato indicio omnium dignissimum Vergilio habitum esse testis est.

Personati, non veri Vergilii Culicem esse, non solum eo probatur, quod eruditio poetae de vita Vergiliana grammaticis repugnat. sed accedunt anachronismi, qui subinde p. 296 ss. mihi tractati, ipsi quoque, cuius originis carmen sit, aperiunt. denique ex sensibus et cogitationibus Vergilii, quin Ovidii quoque Culex plus uno loco pendet, etiamsi ipsa verba. nhrases, flosculos ex vero Vergilio transscribere falsator sedulo vitaverit, bene sibi conscius, se id carmen Vergilio subdere, quod ante Bucolica, Georgica, Aeneida factum sit. atque de hoc imitationis argumento cf. sub II p. 301 s.

Tot igitur et tantis rationibus cum Culicis auctor fraudis coarguatur, nihilominus critici, qui optimo iure dudum carmen

1) Illo loco etiam mirum errorem Caroli Hosius, Gesch. d. r. Lit. II⁴ p. 169 castigavi, qui Augusti a. 63 nati condiscipulum Cornelium Gallum a. 69 natum habet allato testimonio Prob. Verg. ecl. praef. p. 328,2 Hagen (*Vergilius*) *insinuatus Augusto per Cornelium Gallum condiscipulum suum*. Vergilium igitur a. 70 natum, non Augustum, scholiasta condiscipulum Galli vocat.

spurium esse sibi persuaserant, eo inquietantur, quod argentei poetae, praeter Lucanum etiam Statius et Martialis, non modo Vergilianum esse carmen duxerunt, sed etiam de eo certi sunt, anno 44 Vergilium XXVI annos natum Culicem panxisse. verum omnis notitia, quam posteriores se promptam habere gloriantur de Vergilio annos XXVI nato Culicem pangente, redit ad carmen ipsum, cum nomen *Octavii* initio poematis rhetor callidus in prooemium intulerit. quid multa? si epyllion aliquod vel anonymum ad *Octavium* missum, reverentia summa appellatum v. 24 *Octavi venerande*, v. 25 et 37 *sancte puer*, in Roma Augustea circumferebatur, id carmen necessario quasi fatis urgentibus in corpus Vergilianum intravit, cum specialis vates Augusti Vergilius audiret. quodsi receptus erat Culex in corpus Vergilianum, lector quivis calculo simplicissimo ex allocutione *Octavi* concludere potuit, quibus consulibus opusculum in publicum iisset. nam demum post necem Divi Iulii a. 44 filium eius adoptivum nomen *Octavii* deposuisse vulgo notum erat. item quo anno Vergilius natus fuerit, litteratis Vergilii lectoribus constabat. sic omnium turbarum circa originem Culicis causa unica in eo consistit, quod praeter editiones Vergilii a grammaticis constitutas iam Ovidiana aetate corpora Vergiliana parum munita cura grammaticorum apud bibliopolas prostabant. omnino in antiquitate in operum corpora nobilissimorum scriptorum spuria inrepis-
 se, uberiore explanatione Mus. Rhen. 89 (1940) p. 318 s. a Culice exorsus commonui. eo autem facilius aditus in corpora Vergiliana Culici patefiebat, quia carmen arte quadam et doctrina quamvis accessita pollet; cf. sub IV p. 323.

De anachronismis fraudem rhetoricam ut in Consolatione ad Liviam ita in Culice indicantibus

In omni scriptura, quae arte mimica fit, res secum fert, ut anachronismi exoriantur. Plato Socratem gerens iterum iterumque in anachronismos incidit, quos ei iam Athenaeus IX p. 505 F exprobravit. quantum periculum sit, ne scriptores personati per ethopoiian loquentes anachronismis peccent, R. Hürzel, „Der Dialog“ (1895) largius exponit, tam in Platone quam in Cicerone, Plutarcho, Luciano anachronismos persecutus. in carminibus pseudepigraphis sub Vergilii aut Ovidii nomine traditis anachronismi, si qui inveniuntur, utilissimi sunt ad discernendum, qua via opusculum pseudepigraphum in cor-

pus librorum Vergilii sive Ovidii venerit. Ciris et Aetna, quae carmina utraque ab anachronismis vacant, praeter spem auctorum in corpus Vergilianum intraverunt. Ciris Vergilio ideo accessit, quia versus quattuor 538—541 epyllion claudentes apud Verg., Georg. I 406—409 recurrunt atque etiam in aliis partibus carminis immodicus consensus cum Vergilio ad huius vatis nomen splendidum vultus legentium dirigit. Aetnae ecphrasis Vergiliana Georg. IV 170—175, repetita fere Aen. VIII 449—453 tantopere aures Romanorum delectavit, ut didascalicum de Aetna carmen in corpore Vergiliano operibus genuinis agglutinaretur, quamquam teste Suetonio, Vit. Verg. p. 58 R. origo Vergiliana a grammaticis in dubium vocabatur.

Insunt anachronismi tam Consolationi ad Liviam sub Ovidii nomine traditae, quam Culici pseudovergiliano. unde intellegitur, horum duorum carminum utrumque sic ortum esse, ut sciens auctor Vergilium sive Ovidium gesserit, illud cum fraude lectorum efficere temptans, ut ex gloria et favore clarissimorum poetarum subditivum opusculum fructus caperet. atque Consolationis anachronismos l. l. p. 225 ss. adnotavi; restat ut Culex absolvatur.

Auguria ex eventu in Culice

Octavio puero felicitas perpetua et Elysium monstrantur

V. 37 ss. hoc tibi, sancte puer: memorabilis et tibi certet
gloria perpetuom lucens, mansura per aevom.
et tibi sede pia maneat locus et tibi sospes
debita felices memoretur vita per annos,
grata bonis lucens. sed nos ad coepta feramur.

Versu 39 *et tibi sede pia maneat locus* cum vita beata post mortem futura Octavio puero annuntiatur, alluditur ad cultum Divorum sub Augusto sene ingravescentem. itaque augurium ex eventu esse negari nequit. nam ante adoptionem Octavius, Atia matre natus, quam Iulia, Divi Iulii soror M. Atio Balbo pepererat, rerum suarum admodum incertus erat; adoptionem quoque ex testamento futuram magnus avunculus nepotem celaverat (cf. Realenc. X 279,63).

Accedit v. 40 *felices memoretur vita per annos*, ubi de felicitate Augusti augurium ex eventu est. in locum autem communem felicitatem Augusti abiisse, maxime ex acclamatione cognoscitur, qua novi principes saeculis posterioribus in senatu

salutabantur teste Eutropio VIII 5,3 *ut usque ad nostram aetatem non aliter in senatu principibus adclametur, nisi „felicior Augusto, melior Traiano.“* quodsi apud Plinium, Nat. hist. VII 147 ss. e contrario adversa Augusti in catalogum coguntur, id inde explicatur, quod felicitas Augusti dudum apud cives in confessum venerat, ita ut scioli ad corrigendam famam illam incitarentur.

Sancti appellatio Octavio puero accedens hereditarium epitheton Octaviorum, non augurium ex eventu est

Restat, ut allocutio Octavii pueri *sancte* et v. 26 et v. 37 tradita expediatur. quam tantum abest, ut pro anachronismo aut augurio ex eventu habeam, ut instrumentum dolosi rhetoris postvergiliani agnoscam, quo lectoribus persuasurus erat, se circa annum 48 scripsisse, quo anno Caesar pontifex maximus filium neptis in collegium pontificum cooptavit. itaque equidem praefracte iis obsisto, qui Culicem genuinum esse musitantes, eruditionem poetae de pontificatu Octavii adeo selectam esse volunt, ut nulli scriptori nisi aequali cum puero Octavio eam tribui posse contendant. immo epitheton *sancti* accedit etiam post pueritiam Octavio iam Octaviano nominato, quem Cicero, Philipp. XIII 19 *sanctissimum adolescentem* appellavit et cuius *sanctitatem* ibid. III 15 laudavit. atque distincta a divinitate Augusti perennavit Octaviorum *sanctitas* in rumoribus civium adeo, ut Velleius sub Tiberio scribens testimonium de sanctitate Octaviorum praebet, de patre Augusti locutus II 59,2 *C. Octavius . . . gravis, sanctus, innocens, dives*. itaque Culicis auctor, astutia rhetoris gavisus, in usum suum vertit *sanctitatem* Octaviorum etiam sub senescente Augusto vulgo notam, ut rem convenientem opinionibus vulgi proferens Vergilium se esse fidem faceret, qui iam in adulescentia de condicione omni condiscipuli egregie eruditus fuisset.

Augurio Aeneidos Culicis auctor signat sphragide Vergiliana opus subditivum

V. 8 ss. posterius graviore sono tibi musa loquetur
nostra, dabunt cum securos mihi tempora fructus,
ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Musam iuvenilem Vergilii Horatius anno 35 descripsit ad hunc modum Serm. I 10,43 ss. *forte epos acer ut nemo Varius*

ducit, molle atque facetum Vergilio adnuerunt gaudentes rure Camenae. nihil igitur erat, quod Horatius, quamvis sodalitate intima cum Vergilio iunctus, speraret, amicum quondam *graviore sono* cantaturum esse. at Culicis auctor facit Vergilium iam decennio ante annum, quo Horatius Sermonem I 10 scripsit, somniantem, se Octavium de re publica bene meriturum carmine *graviore* celebraturum esse. incongrua igitur Vergilio vero personatus auctor prooemio carminis inseruit. quae partes in re publica Octavio puero vel avunculo Iulio superstite quondam accessurae essent, Vergilius ante testamentum Iulii Caesaris a. 44 publicatum ignorabat, nec vero grande epicum carmen in prima iuventa philosophiae Epicureae inhaerens in votis habuit adulescens. cf. Suet. Vit. Verg. p. 58 R. *mox cum res Romanas inchoasset, offensus materia ad Bucolica transiit.*

Itaque cavillantibus et ab opprobrio auguriorum ex eventu Culicis auctorem defendentibus nulla deverticula flexionesve patent. immo aequae ut Consolationis ad Liviam auctor versutia rhetoris se equitem Romanum funeri Drusi interfuisse v. 202 lectoribus inculcavit, ut Ovidius esse videretur, qua de re cf. l. l. p. 193 ss., calliditate consimili Culicis auctor, cum Octavium graviore sono se quondam cantaturum esse paene obiter memoravit. subditivum opusculum signavit fraudulenter sphragide Vergiliana.

II

De imitatione

Imitationis criterion ambiguitate laborat ex causis compluribus. primum similitudines inter binos scriptores, etiamsi evidentes sint, ortum trahere possunt ex usu fontis eiusdem vel loci communis in schola exculti.

Consensus inter Aetnam et Senecam Posidonio debetur

Nihil valet ad Aetnae aetatem limitandam contentus cum Senecae, Nat. quaest. libro VI *De terrae motu*. nam in hoc libro plus uno loco 17,1; 21,2; 24,6 *Posidonium* Seneca auctorem nominat placitorum suorum, eundem autem Posidonium fontem primarium doctrinarum volcanalium Aetnae esse, S. Sudhaus, ed. Aetnae (1898) in enarrando carmine passim docuit. atque Sudhaus etiam in tabellam p. 76 s. similitudines Anaeanas Aetnae collegit, quas insuper A. Gercke in editione

Sen., Nat. quaest. (1907) circumspecte adnotavit. quibus similitudinibus perlustratis apparet, graviores nullas esse quam eas, quae de vi spiritus agunt, veluti Aetn. 217 (*flamma*) *qua spiritus imperat, audet*. Sen. 21,1 *ignem spiritus concitat*. dogmatis igitur cognatis illis quidem, sed loquela diversa expressis coercetur concordia inter poetam et philosophum, quae tantum ad cognoscendos fontes graecos utriusque scriptoris cum Sudhaus p. 80 s. adhibenda est.

Quae cum ita sint, resisto vel in transitu iis, qui ut nuperime rursus J. H. Waszink, „De Aetnae carminis auctore“, *Mnemosyne* II (1949) p. 224 ss. perstant, Senecae discipulo, Lucilio Aetnam tribuere. nimirum Seneca Lucilio haec scripsit de Aetnae ephrasi litteris mandanda Epist. 79,5 *quid tibi do, ne Aetnam describas in tuo carmine, ne hunc sollemnem omnibus poetis locum attingas*. de hoc verbo Senecae recte interpretando cf. M. Haupt, *Opusc.* I p. 332 „Lucilius si fecit quod eum facturum esse Seneca in ea . . . epistula suspicatur, descripsit quidem Aetnam, sed ut attingeret eum in maiore carmine; illa autem quam habemus Aetnae descriptio non particula carminis est, verum ipsa integrum poema.“ atque adeo Acheronta movere posse is sibi videtur, qui certum auctoris nomen pseudovergiliani aut pseudoovidiani carminis ab inferis revocare etiamnunc audet; nam neque hoc satis secum reputat, quanta copia litterarum aetate aurea et argentea in iisdem argumentis versantium Romae pullulaverit, neque illud, quanta pars perierit. cf. etiam F. Leo, *Herm.* 37 (1902) p. 55: „Es ist kein aussichtsreiches Geschäft, die Verfasser namenlos aus dem Altertum überlieferter Schriften zu bestimmen; ein Fall wie der des Caesius Bassus ist nicht häufig vorgekommen. Die . . . Rhetorik ad Herennium des Cornificius, die Dirae des Valerius Cato, die Aetna des Lucilius, die Octavia des Curiatius Maternus — *τρίζουσαι ποτέονται*“.

Quae ratio inter Senecam et Elegias in Maecenatem intercedat

Praeter quod criterion imitationis usu fontis eiusdem locorumque communium passim destruitur, id quoque fit, ut poeta minutus vetustior a sermonibus vulgi litteris non mandatis pendeat, tunc vero, ubi primum rumores vulgi, qui perennarunt, in librum recentioris scriptoris auctoritate summa pollentis intraverunt, is scriptor recentior errore paene excusabili pro fonte vetustioris habeatur. sic Haupt, *Opusc.* I p. 349 et Bue-

cheler, Kl. Schr. II p. 321 sibi persuaserunt, Elegiarum in Maec. scriptori ansas ad defendendum Maecenatem Senecam dedisse. is enim praecipue Epist. 114 tam propter vitae cultum effeminatum quam propter scribendi genus licentiae plenum Maecenatem acerbissime vituperavit. quid igitur est? Seneca ipse fatetur l. l. 114,4 *quomodo Maecenas vixerit, notius est, quam ut narrari nunc debeat*. nequaquam igitur a Seneca primo urbani didicerunt in Maecenatem invehi. immo eum adhuc superstitem cum aequales solutis tunicis in foro spatari videbant, rumores graves de equite Romano circumferebantur. nihilominus vix credibile est, vituperatorum aequalium quemquam Augusti intimum eundemque poetarum fautorem nobilissimum codicillis invectivis laceravisse. attamen maculae ei adpersae ad posteritatem venerunt, praesertim quod Maecenas ipse scriptis in publicum missis velut opere *De cultu suo* vivendi modum sibi placentem impudenter commendaverat. quae scripta nomen in urbe habentia Senecam philosophum adeo inflammarunt, ut eadem opprobria in illum iactaret, a quibus Elegiarum scriptor hortatu Lollü eum defenderat. etiamsi autem Seneca in corripiendo Maecenate longus admodum est, tamen nullus consensus in singulis locutionibus inter philosophum et poetam exstat. sic succidit opinio de Elegiis a Seneca suspensis, cuius opinionis vanitatem iam Fr. Skutsch, Realenc. IV 945, 47 ss. breviter strinxit.

De clausulis et initiis versus heroici, flosculorum armario poetarum dactylicorum

Criterion imitationis vis ad digerenda carmina incerta etiam condicione speciali artis dactylicae aetate aurea et argentea minuitur. quid rei sit, accipe. hexameter latinus, a Vergilio imprimis et Ovidio usu caesurarum sub strictiores regulas redactae rationeque inter accentum vocabulorum et ictum numerorum diligentius respecta, ad eam formam pervenit, ut tantum bisyllaba sive trisyllaba vocabula in clausula versus admitterentur. atque etiam initio reliquaque parte versus collocatio libera verborum maxime restringebatur. qua structura hexameter latinus modulationem linguae latinae convenientissimam accepit. at quod elegantiae accessit, demptum est de facultate variandi. unde accidit, ut tam in calce quam in fronte versuum eadem phrases apud diversos poetas recurrant, ubi concentus neque ex fonte eodem aut loco communi neque ex imitatione exortus est,

sed metri necessitas in censum venit. qua de re peritia singulari egit C. Hosius, „De imitatione scriptorum Romanorum“ (Festschrift der Univ. Greifswald 1907), qui etiam p. 6 ss. tabellas amplas clausularum et initiorum poesis dactylicae Romanorum in variis scriptoribus recurrentium composuit. plurimis igitur locis „litterarum concordantia aperta oculos blande excipit, tamen consensus non consilio nec memoriae scriptoris, sed casu debetur.“ quin versus paene integros numero imitationum Hosius p. 9 detraxit.

Quae cum ita sint, fidem denego iis, qui in Elegiis in Maecenatem similitudinibus ambiguis confisi imitationem poetarum argenteorum sibi retexisse videntur, praeter priores R. B. Steele, *The Nux, Maecenas, and Cons. ad Liv.* (1933) p. 27 ss. et B. Axelson, *Eranos* 28 (1930) p. 23 ss. immo in Elegiis, si modo constant, quae in enarrandis iis l. l. p. 108; 110; 120; 128 de consensu scriptoris cum poetis Augusteis exposui, Propertius et Tibullus imitationibus tanguntur, non argentei poetae; ne Ovidii quidem operum post annum 8 a. Chr. publicatorum vestigium ullum reperitur.

Deinde in Consolatione ad Liviam praeefracte nego, imitationem certam monstrari posse poetae ullius, qui post initia Claudii scripsit. sed quae similitudines Consolationis cum libris post a. 42 publicatis proferuntur, eae vide ne de numero imitationum demendae sint casuque aut usui locorum communium debeantur; cf. l. l. p. 197.

Denique in Ciri imitatio Ovidiana epyllii nequaquam consensu illo dictionum probatur, quem C. Ganzenmueller, *Fleckeisens Jahrb. Suppl.* 20 (1894) p. 553 ss. exhibuit. nec aliter nisi dubitanter de Ciri ab Ovidio suspensa egerunt A. Klotz *Hermes* 57 (1922) p. 596 ss. et R. Helm, *Hermes* 72 (1937) p. 98 ss. quod epyllion poeta neotericus, saeculi neoterici superstes, annis proxime ab Aeneide edita distantibus evigilavit. cf. infra p. 309 et sub IV p. 321 s.

Culex in opinationibus et sensibus potius quam in elocutione pendet a Vergilio et Ovidio

(Cul. v. 127 emendatur)

Tantopere igitur prohibiti a facili censura imitationis eius generis, quae in vocabulorum et dictionum concentu ponitur, admodum illicimur viam a Friderico Leo in enarrando Culice (1891) p. 16 s., 38 s., 56 s. initam inire, qui circa imitationem

Vergilianam carminis retegendam occupatus magis ad cogitationes et rationes sermonis struendi ex Vergilio transsumptas quam ad elocutionem et singulas phrases animum advertit. atque in Culice hac via vel ideo progrediendum est, quia, ut p. 294 monui, in assumendis phrasibus Vergilianis callidus rhetor cautus esse debuit, utpote qui ante Bucolica, Georgica, Aeneida scribere se simulaverit. iam vero equidem in hac re locum quendam adeo, ubi, cum exemplar ab imitatore expressum retego, simul corrupto archetypi textui medelam affero nec non et aetatem carminis certius definio.

Culicis v. 127 s. . . . *insigni curru proiectus equorum ambustus Phaethon* vocabulo *insigni* crucem depravatae lectionis adfixit Vollmer editor, cum Leo in commentario p. 51 *insigni cum equorum* iungens, nullo exemplo structuram genetivi ab adiectivo *insignis* pendentis firmaverit. ut textus emendetur, oportet memores simus Ovidiani loci conclamatissimi Met. II 195 ss., ubi Phaethon Scorpii signo exterritus lora equorum remisit, ita ut equi ex zodiaco egressi inter signa caeli exspatiarentur, donec Iovis fulmine ictus filius Solis ex signis in terram proicitur. haec igitur ephrasis Ovidiana modo ut Culicis scriptori ante oculos fuerit, v. 127 codicibus una littera addita genuinam poetae scriptionem restituo: (*Phaethon*) *in signi(s) curru proiectus equorum*. quocirca si vis scire, qua imagine Culicis scriptor Phaethontem intereuntem viderit, quaeso Ovidium recolas; tunc quid poeta voluerit, compertum habes. ergo post Ovidii Metamorphoses a. 8 p. Chr. perfectas carmen Vergilio rhetor supposuit. sic consentio in definienda aetate Culicis cum Buecheler, Kl. Schr. III p. 187 Ovidio vix posteriorem poetam vocante: „qui opusculum edidit suppositurus, nisi de Octavio sententia me fallit, Vergilio, qui hoc quasi ludo ante sexaginta annos adolescentem delectasset principem.“

Ciris scriptore et Vergilio secum imitatione cohaerentibus quaeritur utrum imitetur.

Pluribus modis cavi, ne in quaestionibus de imitatione mero vocabulorum concentui tinnienti nimium daretur, aut similitudo quaelibet inter binos poetas ex imitatione repeteretur. non nisi procul habito usu communi fontis aut loci rhetorici, parvique facta concordantia in clausulis initiisve versus heroici, campus patet, quo discernatur, utrum poetae diversi imitatione secum cohaereant, necne. verum ubi primum de ratione inter

bina carmina intercedente usque eo constitit, ut imitatione ea iungi certum esset, rursus difficultas eo fit, quod scrupuli nasci possunt, uter poeta utrum imitatus sit.

Exemplum quo significantius nullum est, eius generis, ut imitatione ipsa inter poetas extra dubitationem relicta tamen sub iudice lis sit, uter poeta compilator alterius sit, in Ciri carmine ponitur. atque adeo in hoc carmine imitatio poetica medium locum quaestionum occupat, quae ad originem et aetatem eius explorandas spectant. quo in epyllio XXII versus per carmen distributi apud Vergilium recurrit, cum apud utrumque poetam iidem versus saepius tam apte in contextum sermonis inserantur, ut haesitare liceat, uter poeta prior sententiam cum altero communem edolaverit. ceterum bene conscius sum, quanta fiducia vulgo dicant, discerni utique posse inter textum imitatoris consarcinatum et auctoris expressi textum nativa unitate decurrentem; veluti cf. R. M. Meyer, „Kriterien der Aneignung“, Ilbergs N. Jahrb. XVII (1906) p. 376 „das Übertragene steht innerhalb des Zusammenhangs nicht so organisch wie das dort Gewachsene“. cui Ricardi Meyer sententiae Einar Löfstedt, „Reminiscence and Imitation“, Eranos 47 (1949) p. 148s. ad summam astipulatus est. at salva opinione ab illis defensa, passim sane rata habenda, tamen in poesi dactylica Romanorum imitator haud raro certamen iniiit, quo in perpolianda elocutione superare studeret ipsum, a quo locum transsumpsit. inde fieri potest, ut nativo colore maiore imitator splendeat quam auctor expressus, ipse quoque sollertia artificiosa plus valens quam ingenio innato. sic declaratur, quomodo vir sagax et acutus Fr. Skutsch libris „Aus Vergils Frühzeit“ (1901) et „Gallus und Vergil“ (1906) consensum Vergilii cum Ciri ita expediendum esse arbitratus sit, ut Vergilius a Ciri penderet. hoc enim epyllion Skutsch Cornelio Gallo tribuit, poetae elegiaco illustri, qui a. 26 propria se manu interfecit crimine temerati amici ab Augusto petitus. tamdiu praecipue, quamdiu Gallus Augusti in favore fuit, Vergilium adulandi gratia Galli versus suis inseruisse Skutsch voluit.

Attamen consensu Vergilii cum Ciri identidem examinato Vergilium a Ciris scriptore compilatum esse, neque Cornelium Gallum pro epyllii scriptore haberi posse, evictum est; cf. R. Helm, „Ein Epilog zur Cirisfrage“, Hermes 72 (1937) p. 78 ss., qui priorum interpretum adversus Skutsch obortorum curas circumspecte complexus est. in perpendendis autem

singulis similitudinibus utilissimum est, eos locos indagare, quibus imitator, quamquam ad compilandum habilissimus, tamen aliquando dormitaverit. sic Ciris scriptor Vergilium reddens in socordiam fatalem loco quodam incidit. nam cum Vergilius iusto iure de Philomela domi Terei in lusciniam mutata dixerit Buc. 6, 81 *infelix sua tecta super volitaverit alis*, Ciris poetae tantopere arrisit elegantia Vergilii, ut de Scylla in mari prope Seriphon insulam in cirin mutata, praeoccupans prooemio argumentum carminis, diceret v. 51 *caeruleis sua tecta super volitaverit alis*. attamen, ut dudum docti monuerunt, de tectis nec vola nec vestigium est iis versibus, quibus metamorphosis Scyllae luculenter enarratur v. 482 ss.

Furta Vergilii quae vocantur, modum non excedunt

Subtilissimis quaestionibus singulos versus Ciri cum Vergilio communes ii ventilantur, quibus cordi erat vatem summum Vergilium crimine imitationis ultra solitum egressae purgare. quandoquidem autem, ut Suetonius, Vit. Verg. p. 65 R. ait, „obtrectatores Vergilio numquam defuerunt“, iam superstite eo et temporibus sequentibus furta quae vocabantur eius, scriptores aemuli aut grammatici nasuti indagare temptabant. quorum observationes collectae in Macrobiani, Saturn. I. VI prostant. qui liber Macrobiani ad cognoscendum, quantum Vergilius ex antiquiorum lectione profecerit, plurimum valet, quoniam magna illa pars hodie deperdita litterarum Romanarum grammaticis antiquis ad manum fuit. sic fit, ut nobis antiquos castigatores Vergilii sequentibus facile sit dinoscere, quas leges certas Vergilius sibi in imitandis poetis latinis imposuerit. hinc via altera patet, qua praeter disquisitionem singulorum locorum Ciri cum Vergilio communium ratio vera intellegatur, quae inter epyllion et illum intercedat.

Mirum quantum Vergilium abhorrere ab imitatione immodica, qualis ab illis ei tribuitur, qui Galli Cirin eum compilasse somniant, statuit F. Leo, „Vergil u. die Ciris“, Hermes 37 (1902) p. 53 s.: „Vergil hat sehr viele fremde Halbverse übernommen, einige *paene solidos* (Macrobiani, Saturn. VI 1,7), wenig ganze und nie mehr als einen auf einmal. Versgruppen zu übernehmen wie Cir. 59—61, 402—406, 538—541, . . . ist ein Verfahren, das Vergil völlig fremd ist.“ his legibus coarctatam consuetudinem imitatoris Vergilii cum idem Leo, Hermes 42 (1907) p. 57 s. etiam amplius illustraverit, tamen has leges

Vilhelmus Kroll, „Unsere Schätzung der röm. Dichtung,“ *Ilbergs Neue Jahrb.* XI (1903) p. 12 infringere posse sibi visus est allegato Servio, Buc. 10, 46 *hi autem omnes versus Galli sunt, de ipsius translati carminibus.* at Ed. Norden, „*Verg. Aen. VI*“ p. 360,1 morem scholiastarum in adnotationibus eius generis persecutus docuit, verba Servii ad concentum potius in sensibus quam in loquela spectare. unde equidem id tantum Leoni et Nordeno addo, Vergilium ne iis quidem locis leges imitationis ab illis descriptas violasse, ubi auctores amicitia et officiis sibi iunctos ut Gallum et Varium in Bucolicis imitando coluit.

**De imitatione sui legitima — Homericā, didactica,
citandi gratia facta — et probrosa**

Skutsch una cum aliis Vergilio detraxit, cum immodicam imitationem alieni auctoris ei tribuit; A. B. Drachmann, *Nordisk Tidsskrift for Filologi* XIII (1904) p. 65 ss. et Fr. Vollmer, *Münch. Sitzungsber.* 1907 p. 362 ss. praeter alios doctos item Vergilio detraxerunt, cum nimiam imitationem sui ei impertiverunt, Ciri genuinum opus Vergilii esse proclamantes. atque Vollmer consensum Ciris cum Bucolicis, Georgicis, Aeneide imitatione sui Vergilii explicandum esse ea potissimum renixus sibi persuasit, quod XXXI versus Georgicorum in Aeneide recurrunt. nullam igitur offensionem praebere Ciris versus XXII iteratos in Bucolicis, Georgicis, Aeneide, immo imitationem sui eius generis optime respondere Vergilii moribus Vollmer ratiocinatus est.

At quam fallax ista ratiocinatio sit, ostendi Bursian 140 (1908) p. 255 ss. locis Georgicorum XXXI, qui in Aeneide iterantur, deinceps perlustratis ad unum omnibus. nimirum unoquoque eorum locorum comparationes Homericæ sententiaeve epicae Graecorum in poesin Romanam receptae tractantur. sic quid rei sit, apparet. sciens Vergilius, Homeri imitator ex partibus multis factus, consuetudine artis graecae suam artem locupletavit. e contrario versus Ciri cum Bucolicis, Georgicis, Aeneide communes in argumento quolibet versantur, ita ut Skutsch, „*Aus Vergils Frühzeit*“ p. 110, a Gallo Vergilium pendere arbitratus, de hoc dixerit: „daß er Verse des Gallus . . . bei jeder passenden und unpassenden Gelegenheit eingeflickt hat“. etiamsi autem apud Skutsch de Vergilio alienorum auctorum imitatore sermo

est, apud Vollmer de Vergilio imitatore sui, tamen imitationes ipsas nullius rationis interioris vinculo peculiariter secum cohaerere Skutsch verbo illo testis sincerus fit.

Nec vero propter Cirin solam a Vergilio prohibendam, sed etiam propter Consolationem ad Liviam recte definiendam, quam quidam docti, ut l. l. p. 196 adnotavi, pertinaciter Ovidii esse ducunt, opiniones pravae castigandae sunt, quibus primarii poetae aevi Augustei tanguntur in suspicionem immoderatae imitationis sui vocati. quocirca paucis verbis legitima genera imitationis sui circumscribo, quibus generibus opponitur imitatio sui ex inertia et socordia nata, quae minorum poetarum arte parum pollentium est.

In Iliade et Odysseia versus 2118 locis 5612 omnibus leguntur; cf. L. Deubner. Ilbergs N. Jahrb. XXIV (1921) p. 361. singuli versus atque etiam loci pluribus versibus constantes identidem in Homero iterantur, cum in praesentia recollere parum attineat, quibus ex originibus imitatio sui epica Graecorum nata sit. utique hac proprietate artis Graecae commotus Vergilius existimavit, quae ex Homero ortum traherent, praesertim comparationes, ea iterata stilum epicum cum maxime decere. inter Romanos autem praeter Vergilium Ovidio quoque id genus imitationis sui notum erat, quod Homerica ratione excusatur. sub hoc enim aspectu pono, quod Ennii de Romulo versum Ann. 65 *unus erit, quem tu tolles in caerulea caeli* Ovidius bis protulit Met. XIV 814 et Fast. II 487.

Deinde alterum genus legitimum est imitationis sui in poesi dactylica veterum. poetae didactici, ut placita doctrinae principalia lectoribus inculcarent, eosdem versus semel atque iterum proclamabant. qua de re H. Diels, „Parmenides“ (1897) p. 23 ss. egit. atque hac ratione carminis didascalici vide ne defendatur etiam Ovidius, cum distichon Fast. I 1 s. *Tempora cum causis Latium digesta per annum, lapsaque sub terras orta que signa canam* leniter mutatum repetiverit in prooemio libri IV v. 11 s., ubi pro *Latium digesta per annum* posuit *annalibus eruta priscis*.

Denique tertium genus legitimum imitationis sui in poesi antiqua eo consistit, ut citandi causa verba dudum aliquo loco a scriptore adhibita denuo ab eodem scriptore contextui novo inserantur. cuius generis imitationem sui ut illustrem locis conclamatissimis, liceat mihi a Vergilio et Ovidio ad

Horatium breviter deflectere. Horatius igitur cum versum Serm. I 6,74 *laevo suspensi. loculos tabulamque lacerto* denuo Epist. I 1,56 protulit, atque versiculum Carm. I 19,1 *Mater saeva cupidinum* denuo Carm. IV 1,5, id egit, ut lectores memores faceret earum rerum, in quibus quondam versatus sententiam illam primum concepisset. sic explicatur etiam, cur Ovidius distichon, quo Epistulam 7 *Dido Aeneae* inscriptam clausit v. 195 s. *praebuit Aeneas et causam mortis et ense; ipsa sua Dido concidit usa manu* de verbo iteraverit Fast. III 549 s.; nimirum in argumento difficillimo Fastorum occupatum Ovidium, cum in fabulam Aeneae et Didus incidisset, maxime iuvabat, Epistulae illius olim foras datae. lectores commonefacere. deinde quod idem Ovidius versus quattuor Artis amatoriae I 21—24 ad verbum citavit Trist. II 247—250, id fecit relegatus poeta ea de causa, ut Augusto Caesari persuaderet, Artis amatoriae libros puros a crimine lasciviae esse. inde testimonium tamquam in cognitione principis afferens Ovidius coactus erat versus suos olim panctos ad verbum reddere. — ceterum affine tertium illud genus imitationis sui est imitationi alieni auctoris, quae citandi vel laudandi gratia instituitur; quale genus imitandi Vergilius praecipue in Bucolicis amicorum versibus transsumptis adhibuit; cf. p. 305.

His tribus generibus probae imitationis sui contrarium est id genus, quod ignavia et negligentia fit. nimirum ignaviae arcessuntur iusto iure carminum scriptores, si qui paene fatigati arte operosa in eosdem flosculos versusque sibi usitatos vel inviti denuo incidant. cognatum autem improbum illud genus imitationis sui est cum molesta verborum iteratione, quae passim in litteris antiquis arte critica restituendis philologos irritat. nempe inde ab Homero usque ad antiquitatem cadentem philologi curis detinentur, quibus diiudicaturi sint, utrum auctor ipse an scribae opus tradentes molesta verborum iteratione peccaverint. quae miseria artis ut proprio libro dissolveretur, distincta ea verborum iteratione, quam figuris rhetoricis sive aliis rationibus defendere liceret, a molesta, C. Lehrs, „De Aristarchi studiis Homericis“ (1865) p. 478 postulavit occupatus circa vocabula apud Homerum iterata. at fastidiverunt laboris haud scio an merito posteriores una cum Diels l. l. p. 24.

Ad postremum dubito an etiam quartum genus legitimum imitationis sui sit, quod inter primarios poetas Augusteos insigniter Ovidius coluerit. is enim tam saepe in

iteratis flosculis, quin hemistichiis deprehenditur, ut C. Hosius, *Gesch. d. r. Lit.* II⁴ (1935) p. 258 eum incuriae et levitatis coarguerit: „Er hat sich nie gescheut, sein eigener Plagiator zu sein, sich im Großen wie im Kleinen zu wiederholen.“ verum vero ex pluribus causis deinceps exponendis haec proprietas Ovidii altius repetenda est. quarum causarum maxime conspicua in hexametro Ovidiano novis legibus structo ponitur, de quibus legibus electionem et compositionem verborum coartantibus supra p. 300 s. disserui. unde etiam is, qui imitationes sui Ovidianas sedulo collegit, A. R. Zingerle, „Ovidius u. sein Verhältnis zu den Vorgängern“ I (1869) p. 7—34 optimo iure eas in duas tabellas distribuit, quarum altera p. 7—20 eos locos complectitur, quibus necessitas metrica imitationem sui excusabilem faciat, altera p. 21—34 locos reliquos. iam vero ex his tabellis apparet, Ovidii imitationem sui nusquam supra mensuram unius versus ad verbum transcripti excedere praeter locos illos tres, ubi binorum sive etiam plurium versuum iterationem ratione citandi aut didascaliam suo iure stare monui supra p. 306 s. sequitur, ut singulos versus solidos sine immutatione ab Ovidio iteratos indicemus. quorum versuum is, quem ex Ennio traxit versum de Romulo in caelum ascendente, tam in *Metamorphosis* quam in *Fastis* obvius excusatur iteratus esse ex ratione *Homerica*, cf. p. 306. accedit pentameter de *Scylla* Am. III 12, 22 *pube premit rabidos inguinibusque canes* integer ad verbum receptus *Ars* I 332, ubi tamen dubito an dictio epica Graecae poseos subsit bis ab Ovidio usurpata; alias enim variavit ecphrasin *Scyllae* Met. XIV 66 s. *statque canum rabie, subiectaque terga ferarum inguinibus truncis uteroque exstante coerces*. certe reliquis locis omnibus, ubi imitatio sui singulorum versuum apud Ovidium occurrit, id non fit nisi cum parva quadam immutatione. velut cf. *Ars* II 81 *dextra Labyrinthos erat silvisque umbrosa Calymne*. Met. VIII 222 *dextra Labyrinthos erat fecundaque melle Calymne*. formula dirarum vulgata *hostibus eveniat* apud Prop. III 8, 20, Ov., *Epist.* 15, 217, *Ars* III 247, *Ex Pont.* IV 6, 35 obvia, versu paene solido iterato denuo occurrit Ov., Am. III 11, 16 *eveniat nostris hostibus ille pudor* et *Fast.* III 494 *eveniat nostris hostibus ille color*.

Quodsi hoc urgemus, Ovidium nusquam fere sine variatione flosculos, hemistichia, nedum solidos versus iteravisse, lassitudo et socordia minimum locum retinent inter causas, quibus eius imitatio sui declaretur. sed vide, ne Ovidium, cuius

ex ore facundo versus lepidissimi per lustra et decennia innumeri proruebant, delectaverit, artem suam etiam sic ostentare, ut variandae elocutionis potentissimum se praestans, ea quae antea eleganter dixerat, etiam elegantius repeteret.

Summarium lucrorum quae ex criterio imitationis feruntur ad Cirin, Aetnam, Consolationem ad Liviam definienda

Criterio imitationis non opus est ad Elegiarum in Maeccenam aetatem explorandam, nec vero Culicis aetas melius imitatione Vergiliana et Ovidiana quam fabula condiscipulatus Augusti et Vergilii in carmine vigente cognoscitur. at idem criterion imitationis momentum summum habet ad Cirin, Aetnam, Consolationem ad Liviam definienda. nam suus cuique eorum carminum terminus, post quem scriptum sit, imitationis criterio dicitur.

Ciris carminis in terminum post quem, qui vocatur, inquirentibus non hoc potissimum curandum est, ut imitatio Vergiliana omnino illustretur, sed illud praecipue attendendum est, quam evidenter Aeneis compiletur. nam si Aeneidos imitatio in carmine non fieret, indole et arte scriptoris cogemur, eum etiam multo magis ad aetatem neotericorum admove; cf. supra p. 301 et infra sub IV p. 321 s. praesertim notandus est versus Cir. 474 *Nereidum matri et Neptuno Aegaeo* integer ad verbum ex Aen. III 74 transsumptus. porro insignis est consensus inter Aen. VI 406 *aperit ramum qui veste latebat* et Cir. 280 *aperit ferrum quod veste latebat*. ceterum etiam plura de Aeneide tam verbis quam opinionationibus in Ciri expressa attulerunt S. Sudhaus, Hermes 42 (1907) p. 469 ss., A. Klotz, ibid. 57 (1922) p. 588 ss., R. Helm, ibid. 72 (1937) p. 85; 88; 97.

Aetnam ex criterio imitationis post Lucanum ponendum esse denego, post Manilium aio. nam similitudines, quae inter Aetnam et Lucanum occurrunt, velut Aetn. 78 *Ditis pallentia regna*, Lucan. I 455 s. *Ditisque profundi pallida regna*; Aetn. 74 *volgata licentia famae*, Lucan. IX 622 s. *volgata per orbem fabula*, quibus evidentiores non sunt, parum sufficiunt ad Lucanum expressum ab Aetnae scriptore demonstrandum. atque sic etiam Lucani editor iudicavit C. Hosius, „Lucan u. seine Quellen“, Mus. Rhen. 48 (1893) p. 397. inter tabellas autem, in quas C. Catholy, „De Aetnae aetate“ (Diss. Greifswald 1908) similitudines Aetnae cum aliis poetis con-

gessit, duae ad hanc quaestionem utilissimae sunt. quarum tabellarum altera p. 30 ss. consensum inter Manilium et Aetnam, altera p. 36 ss. inter Lucanum et Aetnam complectitur, ita ut syncrasis facilis fiat. multo autem gravius pondus similitudinibus inter Manilium et Aetnam quam inter Lucanum et Aetnam ad imitationem approbandam inest; cf. e. g. Aetn. 144 *tu modo subtiles animo duce percipe curas* cum Manil. III 43 *nunc age subtili rem summam perspice cura*; Aetn. 332 *res oculis locus ipse dabit coegetque negare* cum Manil. I 702 *sponte sua seque ipse docet cogitque notari*. etiamsi autem reliquus consensus inter Manilium et Aetnam praesertim ad clausulas et initia hexametri spectat, qui consensus vereor ne parvi aestimandus sit, tamen ideo commoveor, ut notum fuisse Manilium Aetnae scriptori existimem, quia poeta didacticus illustrissimum Manilii carmen didacticum vix neglexerit. atque etiam J. H. Waszink, *Mnemosyne* II (1949) p. 232 s. similitudinibus inter Aetnam et Manilium ponderatis imitationem Manilianam Aetnae certam esse duxit.

Ne Sudhaus quidem „Aetna“ (1898) p. 83 et 93 a se impetravit, ut conexum carminis cum Manilio negaret. qui tamen carminis editor cum id Augustea aetate circa annum 30 a. Chr. panctum esse voluerit, nixus praecipue sermonis proprietatibus, versa vice ab Aetna Manilium pendere intendit. verum sobrium criticum dedecet, grandis operis auctorem spectatissimum pro imitatore carminis minoris ignotae originis vendere. quod autem ad latinitatem Aetnae recte ponderandam attinet, cf. sub III p. 315 ss.

De Consolationis ad Liviam termino, post quem scripta sit, inde constat, quod Ovidii opera omnia in carmine exscribuntur; cf. l. l. p. 196. simul conexu sententiarum in singulis similitudinibus apud utrumque poetam illustrato elucet, ubique primarium auctorem sententiarum Ovidium esse, secundarium poetam anonymum; cf. l. l. p. 223.

Quibus regulis Ovidius imitationem poetarum aliorum cohibuerit

Nihil igitur relinquitur nisi ut idem equidem in Ovidio faciam, quod in Vergilio F. Leo supra p. 304 exscriptus fecit. conspectus generalis consuetudinis desideratur, quam Ovidius in transferendis locis scriptorum alienorum secutus sit. sic firmiore fundamento usi iis obsistamus, qui ut Vilh. Kroll et

Hosius, Skutsch et Vollmer Ovidium in libris, quos post Drusum a. 9 a. Chr. mortuum edidit, de Consolatione hemistichia et versus impudenter furatum esse autumant. multo autem impeditior in Ovidio quam in Vergilió quaestio est, qua certi fines imitationis describantur, quos transgredi Ovidius noluerit. nam cum antiqui ipsi furta quae vocantur, Vergilii syllogis exemplorum nobiscum communicaverint, de Ovidii consuetudine imitandi nulla commentatio veterum exemplis instructa servatur. solum de tragoediae Ovidianae Medaeae frg. 2 p. 267 Ribbeck *feror huc illuc, vae, plena deo flosculo plena deo* imitationi tribuendo sermo longior apud Senecam rhetoricem est; quo tamen sermone generales leges imitatoris Ovidii non illustrantur exemplis idoneis; cf. Sen. Suas. 3, 7 „hoc autem dicebat Gallio Nasoni suo valde placuisse; itaque fecisse illum, quod in multis aliis versibus Vergilii fecerat, non subrupiendi causa, sed palam mutuandi, hoc animo, ut vellet agnosci; esse autem in tragoedia eius: *feror huc illuc, vae, plena deo.*“ ceterum apud Vergilium locutio *plena deo* non invenitur; cf. F. Leo, „De Sen. trag.“ (1878) p. 166 s.

Poscimus sane, ut aliquid afferamus ad sententiam eorum radicitus extirpandam, qui Ovidium in compilandis poetis minutis, ut Consolatione ad Liviam aut etiam Lygdamo, cuius elegiae in corpore Tibulliano III 1—6 traduntur, operam collocavisse sumunt. velut cf. Vilh. Kroll, „Unsere Schätzung der röm. Dichtung“, Ilbergs N. Jahrb. XI (1903) p. 11: „Am weitesten ist unter den augusteischen Dichtern in dieser Hinsicht Ovid gegangen, indem er, unterstützt von einem ausgezeichneten Gedächtnis, den Vorteil, viele Vorgänger in der epischen und elegischen Dichtung zu haben, ungescheut ausnutzte und auch an Dichtern zweiten und dritten Ranges nicht vorüberging. Selbst den bekanntesten Vers, in dem er geschickt sein Geburtsjahr bezeichnet *cum cecidit fato consul uterque pari* (Trist. IV 10, 6), scheint er dem Lygdamus entlehnt zu haben, und es ist mit der Möglichkeit zu rechnen, daß er sich an die stümperhafte Consolatio ad Liviam angeschlossen hat.“

Kroll igitur quod Lygdamo in censum vocato temptavit sententiam perversam de Ovidio a Consolatione iis locis suspensio tueri, qui in scriptis post a. 9 a. Chr. editis cum Consolatione illi communes sunt, ad Lygdamum incassum confugiebat. nam e contrario Ovidium exscripsit Lygdamus; quae res ut pateat, gravissimum consensum, ubi de ratione inter Lyg-

damum et Ovidium intercedente controversia est, oculis criticorum substerno:

Lygd. 5, 16 ss. nec venit tardo curva senecta pede.

natalem primo nostrum videre parentes,
cum cecidit fato consul uterque pari.

quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis
et modo nata mala vellere poma manu?

Ovid., Ars II 670 iam veniet tacito curva senecta pede.

Trist. IV 10, 5 s. editus hic ego sum, nec non ut
tempora noris,
cum cecidit fato consul uterque pari.

Am. II 14, 23 s. quid plenam fraudas vitem
crescentibus uvis,
pomaque crudeli vellis acerba manu?

De hoc loco Lygdami, ut videas, quam necesse sit, generales leges de Ovidio imitatore stabilire, conspirans cum Kroll sic iudicavit C. Hosius, *Gesch. d. r. Lit.* II⁴ (1935) p. 187: „Es ist gewiß leichter anzunehmen, daß man die Bestandteile einer Stelle, die man im Gedächtnis hat, in verschiedenen Gedichten verschiedener Epochen ausnutzen kann, als umgekehrt, daß man aus Versen verschiedener Gedichte verschiedener Epochen ein einheitliches Ganze bildet. Schon das spricht für die Priorität des Lygdamus.“

Haec Hosius excogitatus quam verius. nam quocumque deflexere curae eorum, qui Ovidium imitatore minorum poetarum ingenii sterilius esse contendunt, ubique refutatio in promptu est. nimirum praeteriit Hosium ad tempus musiva ars illa per antiquitatem paene omnem passim exercita, quae centoniariorum est, qui ex diversis locis eiusdem auctoris novum textum consuentes, egestatem elocutionis ipsorum imitatione procacioris compensarunt. praelusit igitur Lygdamus quodammodo centonibus Ovidianis posterorum, quibus de centonibus item ut Homericis, Vergilianis, Hesiodicis cf. Ed. Stemplinger, „Das Plagiat in der gr. Literatur“ (1912) p. 193 ss. et O. Crusius, *Realenc.* III p. 1930 s. ceterum optima spes est, aliquando desituros esse doctos Ovidium sollicitare furtis Lygdami pro Ovidianis venditis. nam post Fridericum Marx, *Realenc.* I 1325 s. sub voce „Albius Tibullus“ consentiens cum illo F. W. Levy, *Ovidii editor subtilis et diligens*, *Realenc.* XIII (1927) 2217 ss. sub voce „Lygdamus“ scrupulos omnes de ratione inter Ovidium et Lygdamum intercedente disquisitione liqui-

dissima expedit. denique cf. etiam quae de Lygdamo adnotavi p. 324 adn. 2.

Tibullum ut elegiae Romanae auctorem elegantissimum caputque sibi carum Ovidius maxime suspiciebat. unde eum ab illo plurima mutuatum esse, facile putaveris. at ne in epicedio quidem Tibulli Ovidius, Am. III 9, ubi memoriam defuncti sic colere debuit, ut leporem Tibullianum imitando redintegraret, plus unum versum mortui exhibuit, et hunc quoque non nisi cum immutatione parva; cf. Ov. 9, 58 *me tenuit moriens deficiente manu*. Tib. I 1, 60 *te teneam moriens deficiente manu*. quo loco quod acumen singulare Ovidius v. 55 ss. altercationi Deliae et Nemesis sub exsequiis Tibulli habitae indidit, id acumen fieri non potuit nisi transscripto voto illo, quod Tibullus reapse Deliae quondam dederat: *te teneam moriens* eqs. nimirum Nemesis idem votum iam in ipsa, non in Delia dissolutum esse apud Ovidium ait: *me tenuit moriens* eqs. — deinde in Ibide duo Tibulli versus leniter mutati recurrunt: Tib. I 3, 74 *versantur celeri noxia membra rota*. Ov. Ib. 192 *versabunt celeres nunc nova membra rotae*; Tib. I 4, 70 *et secet ad Phrygios vilia membra modos*. Ov. Ib. 453 s. *seces . . . ad Phrygios vilia membra modos*. — largissima autem imitatio Tibulli apud Ovidium loco quodam Tristium II 447—463 obviam fit; cuius tamen loci ratio peculiaris est. ibi enim Ovidius relegatus ab Augusto, clementiam deprecaturus, demonstrare conatur, ea quae ipse in eroticis scripsit, lasciviora non esse quam Tibulli carmina, quae tamen Augusto placuerint; quod ut demonstraret, sane coactus fuit, Tibulliana ad verbum citata apponere; cf. Tib. I 6, 7 s. *illa quidem mihi cuncta negat, sed credere durum est. sic etiam de me pernegat usque viro*. Ov., Trist. II 447 s. *credere iuranti durum putat esse Tibullus, sic etiam de se quod neget illa viro*. praeterea cf. Tib. I 6, 26 cum Ov., Trist. II 452, et Tib. I 6, 20 cum Ov., Trist. II 454. claudit autem Ovidius locum Tibullianis testimoniis instructum nomine Tibulli rursus palam dato ibid. 463 *non fuit hoc illi fraudi legiturque Tibullus*. hic igitur consensus Ovidii cum Tibullo nequaquam ad genus imitationis improbum pertinet. sed item ut immodica imitatio sui supra p. 307 tractata, ubi versus Artis amatoriae I 21—24 Trist. II 247—250 repetuntur, eo excusatur, quod locus prioris operis in posteriore tamquam in cognitione principis affertur, eadem excusatio valet etiam in versus Tibullianos ab Ovidio, Trist. II 447—463 sermoni suo quasi iudiciali intextos. atque com-

pari ratione defenditur etiam consensus largior inter Tib. I 6, 67 s. *sit modo casta, doce, quamvis non vitta ligatos impediatur crines nec stola longa pedes* et Ov., Ex Pont. III 3, 51 s. *scripsimus haec illis, quarum nec vitta pudicos contingit crines nec stola longa pedes.*

Sic Tibulliana imitatione Ovidii collecta et examinata apparet, quam parce et decenter Tibullum ad sermonem decorandum adhibuerit. in imitandis prioribus aequalibusque poetis Ovidius easdem fere leges sibi imposuisse videtur, quas F. Leo Vergilium observavisse, commonente me p. 304 s., statuit. quae sententia ut amplius firmetur, brevi conspectu eos locos Catullianae, Propertianae, Vergilianae imitationis Ovidii perlustro, ubi longissime in transcribendis alienis locutionibus Ovidius processit.

Catulli ephrasis Ariadnae celeberrima Ovidio de Ariadna loquenti in mentem venit Fast. III 475 *nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.* cf. Cat. 64, 143 *nunc iam nulla viro iuranti femina credit.* praeterea Ovidius cantilenam nuptialem ex Catullo notissimam in suum usum vertit Met. III 353 *multi illum iuvenes, multae cupiere puellae.* 355 *nulli illum iuvenes, nullae tetigere puellae.* cf. Cat. 62, 42 *multi illum pueri, multae optavere puellae.* 44 *nulli illum pueri, nullae optavere puellae.* — Propertiana e imitationis ambitum ut exemplis illustrem, non ampliorem imitationem sibi Ovidius concessit, quam quae his tribus locis adumbretur: Prop. III 5, 24 *sparserit et nigras alba senecta comas.* Ov., Trist. IV 8, 2 *inficit et nigras alba senecta comas.* Prop. IV 1, 15 s. *nec sinuosa cavo pendebant vela theatro, pulpita sollemnis non oluere crocos.* Ov., Ars I 103 s. *tunc neque marmoreo pendebant vela theatro, nec fuerant liquido pulpita rubra croco.* Prop. IV 8, 75 *tu neque Pompeia spatiabere cultus in umbra.* Ov., Ars I 67 *tu modo Pompeia lentus spatiare sub umbra.* — Vergiliana imitatio Ovidii similis Propertianae est. insigne de Didone verbum Aen. IV 172 *coniugium vocat, hoc praetexit nomine culpam* transtulit in Medeam Met. VII 69 s. *coniugiumne putas, speciosaque nomina culpae imponis, Medea, tuae?* sic etiam alios versus Vergilianos, nec tamen integros adhibuit; velut cf. Verg., Buc. 2, 52 cum Ov., Ars II 267 s.; Verg., Aen. I 644 cum Ov., Met. V 365; Verg. Aen. V 374 cum Ov., Met. X 716; Verg., Aen. VII 446 cum Ov., Met. III 40. versus autem Verg., Aen. IX 767 *Alcandrumque Haliumque Noemonaque Prytanimque, qui unicus*

inter versus Vergilianos ab Ovidio respectos solidus apud eum recurrit Met. XIII 258, adeo diligenter ad verbum expressus, ut Zingerle, „Ovidius u. sein Verhältnis zu den Vorgängern“ II (1871) p. 114 queratur: „Wer wollte es... einem talentvollen Epiker zutrauen, daß... bei Aufzählung von Gefallenen ein aus lauter Eigennamen bestehender Vers eines Vorgängers ganz unverändert in einem anderen Zusammenhange eingefügt werde, wie wir dies... bei unserem Ovid (p. 64) gefunden?, is versus omnino de numero imitationum Vergilianarum Ovidii demendus est. nimirum ad utrumque poetam latinum Homericus versus Il. V 678 pervenit, neque Ovidium ab Aeneide pendere inde intellegitur, quod is praeter hunc versum etiam eum habet Met. XIII 257 *Coeranum Iphitiden et Alastoraque Chromiumque*, qui in Iliade versum 678 antecedit, absentem tamen a Vergilio. denique quod Iliadis v. 677 incipit ἔνθ' ὃ γε Κόρανον εἶλεν, Ovidii autem v. 257 *Coeranum Iphitiden*, ex poeta Alexandrino, non ex Homero, Ovidius hausit.

III

De latinitate et re metrica

Latinitas et res metrica minus valent ad aetatem carminum Vergilio et Ovidio subditorum definiendam quam eruditio et imitatio. quod ad latinitatem attinet, id inprimis erudendum est, quibus carminibus vestigia argenteae latinitatis insint. qua in re extra rationem remanent Culex, Ciris, Elegiae in Maecenatem, de quorum opusculorum sermone puro ab idiotismis argenteis constat. Elegiarum in Maecenatem consuetudinem Augusteam in enarrando opusculo l. l. p. 97 ss. passim illustravi. Culicis sermonem diversum a Vergilio esse, „obscurum et impeditum“, F. Leo in commentario poematis (1891) p. 15 ss. statuit, nec tamen abhorre a consuetudine Augustea autumavit aut ipse aut peritorum quisquam. de Ciris stilo nulla controversia est nisi dubitantium, utrum poeta proprietates neotericas imitatione tantum acquisiverit, an adulescens inter neotericos, sensim se Augusteis veterascens accommodaverit.

De Aetnae sermone

Criterio latinitatis addicuntur aevo argenteo Consolatio ad Liviam et Aetna. Consolationis ortum sub Claudio ponendum sermone quoque probari, ad alia indicia aetatis acce-

dente, l. l. p. 212 s. demonstravi. de Aetna iam loquendum est. cuius carminis latinitas ad quod saeculum respondeat, alacriter dicere difficile est ob „sermonis titubationem in carmine obviam, inhaerentis quidem priscis ac retusis, desilentis tamen ad novissima et licentissima“, ut Buecheleri, Aetnam post Manilium ponentis, verbo Kleine. Schriften Band III p. 259 usus, statum quaestionis perplexae aperiam. inter novissima autem et licentissima stili carminis numeratur usus syntacticus, quo intra unam eandemque sententiam coniunctivus et indicativus in interrogatione indirecta permixtim adhibeantur. etiamsi autem in prisco et vulgari sermone indicativus in interrogatione indirecta regulariter occurrit, tamen in ipsa mutatione modorum licentia notatur, quae pluribus locis in Aetna reperitur ut v. 197 s. *quis torreat Aetnam aut quis . . . imperat.* v. 231 ss. *quanto minor orbita lunae est . . . , quae certo sidera currant ordine.* iam vero hac licentia syntactica luxuriant argentei poetae; veluti cf. quae de Valerio Flacco P. Langen in editione (1896) p. 58 observavit. inventor autem huius novitatis syntacticae poeta illustris Propertius est, qui quantum amaverit eam, exempla docent ab M. Rothstein in commentario collecta ad II 16, 29 s. *aspice quid donis Eriphyla invenit amaris, arserit et quantis nupta Creusa malis.* a Propertio igitur acceperunt idiotismum poetae argentei. nec vero fas est ab alio poeta argenteos suspendere nisi ab eo, qui lectissimus in ore omnium fuit locumque conspicuum in historia poeseos Romanae adeptus est. nihilominus Aetnae editor S. Sudhaus, qui latinitatem carminis fusius p. 86 ss. tractavit et antiquioris sermonis indicia praecipue commotus fere anno 30 a. Chr. Aetnam addixit, e contrario ab Aetna Pseudovergilii Propertium pendere voluit. itaque incidit Sudhaus in periculosam rationem eandem, qua similitudines inter Aetnam et Manilium sic explicaret, ut poeta nobilissimum carmen exile imitatione expressisset; cf. supra p. 310. itidem in sermone Aetnae ponderando via perversa Sudhaus progressus est, cum difficultatem illam removere studuit, quae in eo consistit, quod prisca et obsoleta una cum indiciis argenteae loquelae in carmine inveniuntur. primatum autem in expedienda quaestione de aetate Aetnae, quoad latinitas in census venit, proprietates recentioris sermonis sibi vindicant, non archaismi, quippe qui cuiusvis seriorum poetarum, aut arti imitatoriae incumbenti aut ad sermonem vulgarem sive cottidianum in necessitate metri confugienti, ad manum fuerint.

Ceterum quae Sudhaus cura sane diligenti p. 86 ss. collegit vestigia antiquioris consuetudinis, ea ponderis multo minoris sunt, quam quod ille iis tribuit. velut Aetn. 408 *coritur* pro *cooritur* per synhaeresin legitur. de qua contractione binarum vocalium dixit: „Es ist dies *coritur* . . . wohl . . . die zuverlässigste Spur älterer Sprache.“ at lenissima synhaeresis poetica binarum vocalium ea est, quarum in concursu pares vocales in unam syllabam coalescunt ut Cat. 66, 30 *tristi* pro *trivisti*, Hor., Serm. II 3, 169 *divisse* pro *divisisse*, Ov., Met. I 77 *derat*, Manil. I 888 *derant*. addo autem exemplis a Sudhaus allatis binarum o coeuntium, *conestat* Accii, *coptato* Leg. Iul. mun., *coptari* Ciceronis, formam rustici sermonis *chors* sive *cors* pro *cohors*, quam praeter scriptores rerum rusticarum inter poetas argenteos Martialis VII 54, 7 *chortis aves* praestat. cuius formae usus nec rustico sermone nec prisca aetate coerceatur, sed pronuntiationis cottidiana est, quae per totam latinitatem viguit; cf. Varro, Men. 55 *chortis cocorum*, Carm. epigr. 1320,3 *cohortis centuriam*, ubi metrum *chortis* exigit. multo autem duriores synhaereses quam Lucretianae a Sudhaus adnotatae *colescere*, *coperiant*, apud poetas neotericos, Augusteos, argenteos vulgaresque posteriores admittuntur; velut cf. Cat. 98,6 *discas* pro *dehiscas*, Verg., Buc. 3,96 *reice* in fronte adonei hexametrum claudentis, deinde Ciris 118 et Manil. V 374 *dicere* pro *deicere*, Carm. epigr. 2007,2 *dectus* pro *deiectus*. Lucretianum III 863 *probet* pro *prohibet* metro flagitatur etiam in poematio vulgari aetatis posterioris Carm. epigr. 579,5 *vendere si velit* (i. e. *vellet*), *emptorem littera prohibet*.

Archaismi stilo carminis didactici paene naturaliter accedunt, quia priscis verbis gravitas doctrinarum augetur, praeterea pugnantibus cum necessitate metrorum poetas nova occasio occurrendi difficultatibus offertur. de archaismis apud Lucretium H. Diels, Lukrezstudien V (Berl. Sitzungsab. 1922) p. 46 ss. egit. in duo autem genera archaismi Lucretiani dividendi sunt. pars altera proprietatibus linguae antiquissimae continetur, quae ut I 29 *militiai* genetivus in binas vocales longas exiens, adeo evanuerunt, ut plane ex usu linguae latinae depellerentur. altera autem pars archaismorum in eo genere antiquiore loquendi consistit, quod urbanitati offensum, tamen in vulgo per omnem latinitatem advixit, velut synhaereses licentiores supra collectae et similia alia, quae Sudhaus p. 87 adnotavit. haec igitur parum idonea sunt ad aetatem

carminis incerti perspiciendam. de forma *haec* pro *hae* nominativi pl. fem. Aetn. 212 *haec causae* obvia per totam latinitatem usitata cf. Thes. l. L. VI 3 p. 2700,30 ss.; quod ad locativum *illi* pro *illic* Aetn. 178 positum attinet, exemplis veteriorum litterarum addo Manilium III 309 poetam argenteum.

De arte metrica

Ex meletematis copiosis, quae ad artem metricam pseudo-*vergilianorum* et pseudo-*ovidianorum* carminum explorandam evigilata sunt, eos tantum locos excerpo, qui aetati mihi probatae singulorum carminum adversantur. *Cirin* p. 301 et 322 circa annum 18 a. Chr. scriptam esse nobis placuit; at A. Klotz, *Hermes* 57 (1922) p. 598 s. versus spondiacos in carmine obvios percensuit, et cum quattuor eorum in nomina propria v. 326 *Ilithyiae*, v. 413 *Hellesponti*, v. 73 et 486 *Amphitritae* exire vidisset, quae apud Ovidium quoque, *Met.* IX 283, XIII 407, I 14 in versibus alioquin nil cum *Ciri* commune habentibus spondiacum claudunt, mira audacia hinc efficiebat, *Cirin* post Ovidium scriptam esse. immo si modo ars metrica symbolam ad *Cirin* definiendam affert, ex versibus spondiacis quindecim epyllii versuum 541 intellegitur, scriptorem sub neotericis incunabula artis didicisse. contra in *Culice*, de quo post *Metamorphoses* Ovidii scripto vide p. 302, omnino nullus spondiacus per versus 414 occurrit; nam in clausulis v. 17 *Orpheus Hebrum*, v. 269 *Orpheus in te* trisyllabum vocabulum *Orpheus* facit, neque in diphthongum vocales *e* et *u* in thesi metrica abire pronuntiatio latina graecae diphthongi patitur. — praeter autem spondiacis, in *Ciri* hexameter neotericus eo proditur, quod orationem poeta sollemniter sic struxit, ut ad ambitum hexametri ambitum enuntiati grammatici adaptaret.

A *Ciri* redeo ad *Aetnam*, ubi *Sudhaus* item ut ex latinitate etiam ex re metrica p. 84 ss. efficiendum esse putabat, *Aetnam* ineuntis aetatis *Augusteae* esse. at quibus observationibus ad hanc rem probandam usus est, iis aliae observationes obstant, ab *J. Munro* in enarrando carmine (1867) passim prolatae, quibus a *Lucano* proxime abesse artem metricam *Aetnae* ille sibi visus est ostendisse. quo ex dissensu editorum peritissimorum apparet, quam difficile sit, minutiores differentias, quas hexameter latinus, a *Vergilio* et *Ovidio* in novam formam redactus, lustris et decenniis sequentibus *Augu-*

steae aetatis et ineuntis aevi imperatorii passus est, in certum processum artis digerere.

Nec vero in tabellas redactae singulae proprietates hexametri pseudovergilianorum et pseudoovidianorum carminum simile quid valent ad aetatem eorum definiendam atque cetera criteria hoc syllabo oblata. nam statistica quae vocatur ars, in rebus metricis minutis nec non et in quisquiliis grammaticis exercita, sane opus est ad historiam hexametri latini atque fata linguae latinae curiosius describenda. verum arte eadem ne labores quidem interpretum textui horum carminum restituendo dicati sublevantur. nempe qui ad emendandum textum accedit, coactus est, consuetudinem omnem, qua poeta in versibus struendis et in stilo formando usus sit, suo Marte exploratam ante oculos habere. genuina autem peritia tam sermonis quam artis metricae poetae interpretandi aliter parari nequit nisi ex poeta ipso iterum iterumque perlecto. sic itur ad verum. contra ars statistica meretrix est, quae cuique adnctat, qui mercedem solvit opstinatione Chalcenteri.

IV

De saeculo in carminibus incertis comparente

Dignissimum cura philologorum est, ut etiam saeculo ex ingenio poetarum elucente tempora carminum pseudovergilianorum et pseudoovidianorum definiantur. hoc autem criterion ut cum prospero eventu adhibeatur, opus est, ut in conspectu sit, quid quodque saeculum eorum, quae inde ab Augusto principe per aetatem auream et initia argenteae sese excipiebant, in studiis litterarum potissimum gustaverit. nam sua quodque saeculum mente fruitur, eademque quae posteris minus gravia videantur, praesenti tempori cordi sunt, rursusque quae apud posteros plurimum valeant, apud priores in recessu torpent.

Elegias in Maecenatem sub exsequiis defuncti scriptas esse, eruditio poetae, imitationum conspectus, sermo et ars metrica clamant. at quod idem poeta de corona laurea nil scit, qua posteritas Maecenatem paucis decenniis post mortem eius cinxit ut patronum unicum poetarum Romanorum, hoc mihi fortibus fortius documentum esse videtur, quo brevi post excessum Maecenatis Elegias scriptas esse indicetur. atque hoc indicium aetatis Elegiarum iam tetigit Fr. Skutsch, Realent. IV 946, 43 ss., tamen parum exhaustit. nam illud breviter expe-

diendum est, ex quo tempore merita Maecenatis de Vergilio, Vario, Horatio, Propertio tanti aestimata sint, ut in appellativum nomen, i. q. fautorem poetarum valens, nomen proprium eius abierit. qua in re primum affero inscriptionem parietinam Pompeis repertam Carm. epigr. 929 Buecheler: *semper M. Terentius Eudoxus unus supstenet amicos; et tenet et tutat, supstenet omne modu.* ne vero in hoc titulo vocabulum Maecenatis desideres, hominem paene illitteratum nomen oppidani Terentius pro Maecenas intulisse disticho fere proverbiali in honorem Maecenatis facto Buecheler sagaciter vidit. nempe numeros dactylicos Buecheler restituens, archetypon politum, quod erat hexametri ab homine populari pessumdati, retexit: *semper Maecenas unus sustentat amicos.* Omnem autem historiam nominis proprii *Maecenatis* per metonymian vim appellativam acquirentis illustravit G. Goetz, „C. Maecenas“ (Rektoratsrede, Jena 1902) p. 5 ss., qui etiam ex aevo litterarum renascentium nec non ex recentioribus temporibus exempla idonea attulit. iam vero inter antiquos testes eius usus Martialis notissimus est VIII 56, 5 *sint Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.* sed Martialem antecedit auctor admodum elegans Laudis Pisonis sub Nerone vel iam sub Claudio scribens, qui in epilogum carminis inde a v. 209 usque ad v. 261 decurrentem v. 230—248 panegyricum in Maecenatem, fautorem vatum Vergilii, Varii, Horatii inclusit; cuius panegyrici in calce Pisonem deprecatur, ut sibi Maecenas fiat v. 248 *Tu mihi Maecenas tereti cantabere versu.* quam de Maecenate eclogam Laudis Pisonis in codicibus male habitam pro virili parte emendavi Symb. Osl. 28 (1950) p. 31 ss. in commentatione „Varii carmen epicum de actis Caesaris et Agrippae“.

Talibus igitur amplexibus piorum poetarum cum nomen Maecenatis temporibus argenteis circumfunderetur, permirum sane primo obtutu esse videtur, quod Elegiae, laudibus funebribus eius dicatae, de meritis defuncti erga summos poetas tacent. at haec res sic explicatur, ut verus esse agnoscatur scriptor Elegiarum v. 9 s. *nec mihi, Maecenas, tecum fuit usus amici, Lollius hoc ergo conciliavit opus.* neque enim is poeta, qui sub Lollio patrono, non sub Maecenate, epicedia in Drusum et Maecenatem panxit, habuit, quod simile quid atque Carm. epigr. 929 de Maecenate sentiret *semper Maecenas unus sustentat amicos.* immo illo temporis momento, quo Maecenas diem obiit, praeter eum, vel Lollio et Augusto sepositis, alia capita clara ut Pollio et Messala de palma in vatibus fovendis

cum eo certarunt. fluxerunt lustra et decennia ab obitu Maecenatis, dum merita eius erga poetas, quae operibus Vergilii, aliorum impressa vigeant, mentes posteriorum adeo occuparent, ut praeteriri non potuerint in laudibus eius, quae praetermissa in Elegiis tempus earum testificantur.

Consolationem ad Liviam propter imitationem Ovidianam post obitum Ovidii scriptam esse, vestigiisque argentei sermonis et imitatione Annaeana in inferius etiam tempus remitti, haud difficile est exploratu. at terminum, ante quem facta sit, definituri docti antiquitatem omnem, quin etiam aetatem litterarum renascentium velocibus oculis percurrerunt, non videntes saeculum Claudii Caesaris, nomen patris Drusi exaggerare coacti, unice ad rationem Consolationis quadrare. iam vero ut aetas carminis paene ad consules certa fiat, saeculum Claudii turpe regnum libertorum principis passum ad illud accedit, quod Senecae exulantis dialogus ad Polybium libertum principis, ex Corsica anno 42 missus, in Consolatione ad Liviam evidenter exscribitur, nec vero ullus posterior Consolatione ad Polybium liber Senecae in carmine adhibetur. itaque Polybius a studiis poetae officioso dialogum sibi missum suggestit, ut carmen in honorem domus Claudiae condendum suco philosophico tingeret; cf. l. l. p.201 et 209.

Cirisi perlegis ad mentem praesertim et stilum poetae animum attendens, neglecta interim imitatione Vergiliana, neotericum carmen dicas, saeculo puerascentis Vergilii potius tribuendum quam ei saeculo, quod imitatio Aeneidis p. 309 probata vult. nam cum scriptor in proemio philosophicum carmen grande et didascalicum Messalae cras dandum in votis habet, Lucretianus poeta est, qui Cicerones Lucretium tollentes adulescens admiratus esse videatur; deinde cum epyllion mythologicum sub manibus habet intactum a proprio genere epyllii Augustei, quod genus Ovidius in Metamorphosis demum novavit, Catullianus poeta est, qui artem Alexandrinam in urbe Roma domesticam stupuit. iam vero quandoquidem Ciris manifestissima imitatione Vergiliana, Aeneide non excepta, inspersa est, duas res dissociabiles scriptor miscuit, epyllion neotericum ex arte Catulli, Calvi, Cinnae, Galli factum, et artem Augusteam saltem in imitatione apparentem. quod dilemma mente acuta viderunt Fr. Skutsch, „Aus Vergils Frühzeit“ (1901) p. 74 ss., „Gallus und Vergil“ (1906) p. 4 ss. et F. Leo, Hermes 37 (1902) p. 47 s. et ibid. 42 (1907) p. 73, male obscurarunt A. Klotz, Hermes 57 (1922) p. 596 ss. at-

que etiam R. Helm, *ibid.* 72 (1937) p. 98 ss., alii; qui docti cum imitationem Ovidianam in Ciri indagare temptarunt, a saeculo neoterico carmen plus iusto removerunt et periclitati sunt; cf. p. 301 et p. 318. dissolvit autem dilemma Leo l. l., qui asseclam seriorem scholae neotericae Ciris scriptorem agnovit. quodsi anno circiter 18 a. Chr. Ciris cum Leo atque etiam cum Sudhaus, *Hermes* 42 (1907) p. 502 tribuitur, et saeculo neotericorum in carmine comparenti satis fit, et indoli poetae, qui ad faciendos versus ipse hebes animi aspectu rabido huc et illuc circumspectabat, ubi quid imitatione dignum esset, nec Aeneidi pepercit modo genitae.

C u l i c e m, quem Vergilium ante a. 44, annos XXVI natum, Octavio nondum a Caesare adoptato misisse Lucanus, Statius, alii pro certo habent, subditivum opusculum esse, a rhetore fraudulentum evigilatum, tam auguriis ex eventu in carmine obviis quam eo constat, quod grammatici nihil Vergilium ante Bucolica edidisse, eumque demum post edita Bucolica Caesari per Pollionem, alios, commendatum esse tradunt; cf. p. 292 ss. terminus autem, post quem carmen ortum sit, opinionibus Vergilianis, quin etiam Ovidianis in eo expressis proditur; nec contigit falsario imitationem, quae fraudem eius detectura esset, penitus celare, etiamsi apertiore usum flosculorum Vergilii aut Ovidii ex causa supra p. 294 et 301 s. dicta cohibuit. iam vero ut terminum, ante quem Culex in corpore librorum Vergilii a bibliopolis receptus sit, remittere liceat a Lucano, qui primus opusculum pro Vergiliano habet, in priora etiam tempora, id fit tracto in lucem saeculo, cui quidem fabula de Augusti condiscipulatu cum Vergilio maxime conveniat; cf. p. 294. nempe antequam sub Tiberio argentea aetas, aversa a religiositate Augustea, ingruit, Fama senescentem Augustum et Vergilium dudum in Elysio versantem amicitia puerili iunxit.

A e t n a e carmen didacticum Fr. Vollmer loco conspicuo *Thes. l. l.*, *Ind. libr.* (1904) p. 1 cum Sigofredo Sudhaus aetati Augusteae perperam tribuit. cuius carminis scriptor quoniam ignarus remanet Campaniae motibus terrae iam a. 63 p. Chr. quassatae, ante hunc annum carmen p. 292 posui. terminus post quem ex imitatione Manilii, sub Tiberio recens ab Augusti morte scribentis repetitur, cf. p. 309 s. rationes, quibus Sudhaus, latinitate scriptoris perverse ponderata, carmen circa annum 30 a. Chr. factum esse censuit, p. 315 ss. destruxi, cum idiotismi sermonis recentioris in carmine obvii argenteae aetati

convenient. tantum autem temporis spatium cum inter terminum ante quem, a. 63, et terminum post quem, in imitatione Manilii haerentem, intercedat, Suetonii verbo, Vit. Verg. p. 58 R. *scripsit etiam de qua ambigitur Aetnam* cavetur, ne a Manilio origo carminis nimis longe removeatur. nam etsi Suetonii testimonium *scripsit etiam Aetnam* additamento *de qua ambigitur* restringitur, tamen receptam fuisse Aetnam in quibusdam corporibus Vergilianis iam vergente aevo argenteo, testimonio illo cognoscitur. nil autem obstat, quin sub Tiberio senescente aut sub Claudio carmen ortum sit, iam decenniis pluribus ante quam Seneca Naturalium quaestionum librum VI *De terrae motu* a. 62/63 condidit. denique quod Plinius, Nat. hist. II 191 ss. de hiatibus et motibus terrae disputavit, ad Titum misit Plinius opus perfectum Nat. hist. librorum XXXVI demum a. 77; at idem Plinius a. 23/24 natus per totam vitam in colligenda materia huius operis versatus est. inde Th. Birt, Philologus 57 (1898) p. 610 suspicatus est, Plinium in prima iuventute Aetnam scripsisse. quae coniectura, etsi Vesuvium in flammis inspectum morte pensavit Plinius, admodum temeraria est, nec tamen iniquior quam illa, qua Lucilium, Senecae amicum, carmen confecisse dicunt; cf. p. 299. utique aetate demum argentea Romani ad singulas res naturales libris propriis declarandas se convertebant, ne parum intellecto saeculo ex carmine elucente asseclam Lucretii Aetnae scriptorem somnies.

Appendix de arte

Quaestiones de saeculo in carminibus incertis comparante, etiamsi a singulis observationibus ad iudicium generale procedant, nil commune habent cum iudicio de arte, quod iudicium praeter observationibus etiam impressionibus vix ratione capiendis et intuitu generali fulcitur. ceterum ne ex arte criterion aetatis singulis carminibus dicendae facerem, sciens abstinui. nam bonos poetas aequae ac malos vidit unumquodque saeculum eorum, quae in his quaestionibus respiciuntur.

Nihilo serius deesse nolo, quin paucis profitear, quid de arte singulorum carminum sentiam. ut *Culicem* ponderem, nihil addo Buechelero, qui Kl. Schr. III p. 187 „quaesitae doctrinae specimen artificiosum“ carmen vocavit. — *Consolatio ad Liviam* nullis sensibus ex vita tractis animatur; nec Drusum lacrimis poeta prosecutus est, nec Liviae

maeror cum tetigit; sed phrasibus scholasticis carmen consuitur. at scriptor sollertia rhetorica pollens in disticha lepore Ovidiano structa sententias elegantes distribuit. encomiastica et paramythetica ex praeceptis scholae disposuit, atque etiam novis luminibus taedium locorum communium minuit. — Aetnae, carminis didactici scriptor Phoebum advocavit similiter atque Manilius „duplici circumdatus aestu, carminis et rerum“. difficiliorem autem materiam quam astrologiam subiit, siquidem astra proximiora poeticis sunt quam viscera terrae. in rebus volcanicis canendis eruditior quam facundior, tantum in excursibus ad versus iucundiores pervenit. — Ciris scriptor, sapientiae studio commendatus, vereor, ne hac indole ab oratione poetica blanditiisque versuum gracilium procul habeatur. utique ad philosophorum subtilitatem perplexam quadrant periodi longissimae parenthesisibus tardatae, quarum cum ad calcem veneris, verba in fronte posita in oblivione iacent. molestiam struendorum versuum gravatus, imitator alienorum poetarum factus est, ita ut furta sibi concederet amplissima, insolentia compilandi a nullo alio Augusto superatus quam a Lygdamo, centonario studiosissimo.²⁾ — Elegiarum in Maecenate scriptor Helicon non ascendit, sed Aventinum, cuius collis in aede Minervae sodales collegii histrionum et scribarum parati erant, iussu nobilium carmina condere.

Bonnae

Ernestus Bickel

2) Sub Lygdamo latere virum nobilem ex circulo Messalae Corvini dudum dicunt (cf. Fr. Marx, Realenc. I p. 1325, 44), quia sic optime declaratur, quomodo carmina vilia, in corpus Tibullianum recepta, diem tulerint. inter quos nobiles circuli Messalae filius Corvini, Messala Messalinus, circa a. 20 p. Chr. mortuus, cos. a. 3 a. Chr. vide ne a. 43, eodem anno quo Ovidius, natus sit, si modo ut vir Augusto carus quadragenarius consulatus iniiit. is igitur cum Ovidio familiariter iunctus (cf. supra p. 291) dubito an verba amici pro suis posuerit et imprimis ad annum natalem suum significandum Tristium libri IV a. 11 p. Chr. editi versum 10,6 adhibuerit: *cum cecidit fato consul uterque pari* (cf. supra 312). quod vero vir quinquagesimum quintum annum agens, in amoribus detentus *iuvenem* potius quam senem mira cum constantia gessit, qua in re ii offenderunt, quibus item ut mihi constitit Lygdamum ab Ovidio pendere, ad eam rem explicandam sufficit unum distichon afferre Maximiani II 5 s. P. L. M. V p. 329 Baehrens: *iamque alios iuvenes aliosque requirit amores, me vocat inbellem decrepitumque senem.*
